


B. n. II, 142.  
h. 38, 4.

X 1880761

II k  
4594

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO POLITICA  
*De*  
**HOMAGIO,**  
Qvam  
*ATHENIS LEUCOREIS*  
Sub  
PRÆSIDIO  
**M. Gottfried THILONIS,**  
Aurimonte Silesii,  
Publicæ Eruditorum Ventilationi  
exponit  
**TOBIAS LENTNERUS,**  
Olaviâ Silesius.

Ad diem Decembris, Horis matutinis  
In Acroaterio Veteri




Typis MATTHÆI HENCKELII,  
ANNO cI 16 LXVII.

235 36

868-

# ΟΙΔΑΜΟΗ



## JUVANTE TRIUNO.

## INTRODUCTIO.

**V**â ratione Imperantes, qui summum omnium rerum judicium à Deo acceperunt, & Parentes, quibus obsequii gloria relicta est, dicente Tacito, (a) egregiam Reipublicæ harmoniam absolvant, id considerare nemini non dulce (a) A. L. VI. c. VIII. n. 5. ac jucundum esse potest. Atq; id è magis, quo summum illud Bonum, quod per suavem sui concentum humana societas obtinere solet, expenditur intentius. Cum enim cuncta interitum minari, atq; diffluxura videantur, si omni gubernatione genus humanum destituatur, sola hæc, si commoda sit, præstat, ut benè beatèq; inter mortales vivere liceat. Cæterū quo fundamento concinna illa Symphonia incorrupta ac salvata ueatur, id nisi omnia me fallunt, utiliter non minus ac suavissimè considerabitur omnium. Vinculum hoc Homagium dici consuevit, vi cuius arctiori nexu inter se devinciuntur atq; copulantur Principes & subditi. Nobis digna visa fuit materia hæc, in qua ingenii nostri vires experiremur. Faxit supremum Numen, ut fiat FELICITER!

## SECTIO I.

## INDEX THESIUM.

- |                                                   |                                                                   |
|---------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------|
| I. Definitio nominalis removetur.                 | VII. Locus, in quo præstatur, publicus est.                       |
| II. Homagium est juramentum.                      | IX. Tunc temporis verò præstatur, quando mutantur Imperantes.     |
| III. Ejus causa Efficiens sunt subditi.           | IX. Homagium à Patre præstitum Filium, à Marito, llxorem obligat. |
| IV. Objectum, cui præstatur, sunt Imperantes.     | X. Homagii divisio.                                               |
| V. Finis est obedientia, fidelitas & observantia. |                                                                   |
| VI. Forma est vel Essentialis vel Accidentalis.   |                                                                   |

## §. I.

**C**Um Philosophi, consentiente universo Sapientum Senatu, non tam sit vocabulorum involucra, qvæ febriens hæc literarum ætas maximè exosculatur, qvam ipsa rerum momenta attehdere, proinde nobis non placet impræsentiarum in evolvendo nomine Ho-

(β) Ep. 71.

magii anxiè desudare & rem hanc magnificentissimam ad syllabas revocare, ut loquitur Seneca. (β) Præprimis cum ad negotium nostrum aut nihil, aut parum admodum conducere videatur. Immò adhuc sub judice lis est quà derivationem, Aliis in Græciâ, Multis in Latio, Nonnullisq; in Galliâ aut Longobardiâ natales Homagii investigare contendentibus. Et quem fugit, qvod per homagium Juramentum subjectionis hîc intendamus, qvod concinnè & appositiè Germanis, Ein Huldigung / ein Geding huld und treu zu sehn / ein Erb- und Landhuldignng vocatur.

§. II. Atq; hujus naturam nunc proprius contemplabimur. Num verò ad Politicam referendum sit Homagium, disqvirant illi, qvibus plus otii est, & qvī in hoc argumento non reperiunt, qvod seriò qværant. Nos sine hæsitatione illud omnino huic disciplinæ vendicamus, atq; sic describimus: *Homagium est juramentum sive promissum, qvod subditi suis præstant Imperantibus in obedientiæ fideli-tatis Observantia certitudinem.* vid. Dn. D. Wendel. (γ) *Juramentum esse Homagium vel definitio Juramenti docet.* Inter asseverationes enim referendum omnino Homagium nostrum est: & cum sine attestatione vel invocatione Justissimi cordium Scrutatoris, qvam animam juramenti dicimus, haut peragatur, Juramenti nomen non poterit non mereri. Est qvippe *asseveratio cum invocatione Dei super rebus honestis ad confirmandam veritatem facta.* Adhæc Juramenti indoles latius patet Homagio ceu suâ specie, & confirmatorio, decisorioq; adscribitur. Qvin immò totam suam naturam communicat Homagio, qvod non infimum generis requisitum est. Poterat qvidem Homagium promissione simplici absolvi, qvatenus hæc non minus in conscientiâ obligat, sed hominum levitas fecit, ut juramento confirmandum esset obsequium. Sic major videtur enasci obligatio, qvando perjurium nemo facile committere audet, qvi

(δ) *L. Rhet. ad Alex. c. 18.* Dei pœnam & hominum ignominiam metuit, ut habet Aristot. (δ) §. III. *Differentia,* per qvam juramentum ceu genus restringimus à Causâ Efficiente, Objecto & Fine petita est. Causa Efficientis Homagii sunt subditi; qvippe qui reverâ illud præstant. Ubi nil obstat, qvod Subiectū vel materia homagii ab Aliis dicantur. Non enim infreqvens est subiecta accidentium suorum Causas efficientes esse. Hoc saltèm probè tenendum, qvod intelligamus hic subditos veros, qui secundum omnes potestates summi Imperii debent obsequium, sive Seculares,

sive Ecclesiastici, sive Nobiles, sive Plebeji sint, aut quicunque alii, modò in verâ relatione ad Majestatem id nomen gerant, & alteram partem Reipublicæ constitutivam absolvant. Qvare separandi hic sunt subditi temporarii, qui impropriè & secundum quid ita vocantur, quales sunt Peregrini & hospites.. Hinc fluit neminem censeri subditum, quia jurat, sed quia subditus est, ideo jurare uti Reink. (ε) Dn. D. Wendelerus & Cellarius (ζ) docent.

(ε) L.I. Cl.III.

c.3. n.5.

(ζ) l.l. c.c.

§. IV. *Objectum*, cui Sacramentum hoc præstatur sunt Imperantes præcipue Viri sive adulti, sive Infantes sint, non exclusis prorsus fœminis, cum & haec Majestatis possint esse capaces. Ubi nil refert, an unus, an verò plures sint Imperantium, quibus sese subditi vinculo hoc obstringunt. Cum verò eam expeditionum publicarum & multitudinem & varietatem inveniant, qui rerum summa moderantur, ut omnibus & singulis ubique obeundis impares non raro deprehendantur, nec tamen Reipublicæ commoda intercepta velint, prudenti consilio in partes vocare consueverunt, quos usitato nomine *Officiales* & *Magistratus* dicimus, facultate aliquâ civili instructos. Hi proin nomine Principis etiam homagium à nobis exigere possunt.

§. V. Finem Homagii in definitione triplicem fecimus. Obligatur a. subditus vi jurisjurandi ad *omnia mandata* Principis, etiam Tyranni, dum patientis rationem subit, nec detrectat, quicquid injungitur. Ast aliter se res habet, ubi agere male jubetur & præcipitur evidens peccatum: tunc restabit subditus, non quidem deturbando, vel oppugnando Tyrannum, sed eidem non obtemperando. Rectè negatur obsequium, ubi præstitisse crimen est. Ex præscripto *fidelitatis*, omni tempore tam secundo quam adverso, tam togato quam sagato utilitatem atque incrementum Principis, totiusque Reipublicæ, quantum quidem in manu suâ positum est, promovere, omniaque incommoda, quae in pernitiem Civitatis vergere possunt pro virili declinare studeat. Cum etiam omnium domus Principis vigilancia defendat, omnium otium, illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem, illius industria; ut ait Seneca (η) hinc factum, ut obsequioso cultu Illi, ceu Dei Vicario omnes in universum subditi sese Sacramento obstrinxerint. Qvare Artabanus Persa apud Plutarchum (θ) pulcherimam optimamque legum Persicarum vocat illam,

(η) *Consolat.*

ad Polyb. c.26.

(θ) *in vita Themistoclis.*

quā sancitum fuerat, Regem esse honorandum & adorandum, ut Dei

(1) L. II. In laude servantis Imaginem. Et Corippus Africanus (1) canit:  
dem Justini.

Terrarum Dominis Christus dedit omnia posse,

Ille est Omnipotens, hic Omnipotentis Imago. Ut hæc

recenset Hornius (2)

(2) L. II. de  
Civit. c. I. §. 12.

§. VI. Homagii forma essentialis, alia accidentalis est.

Illa absolvitur invocatione VERO ac SOLIUS DEI, ut testis  
esse velit, lingvam Jurantis cum corde exactè congruere, Vindexq;  
nisi his stetur promissis. Hæc ad ceremonias, solennitates ac cir-  
cumstantias, quæ pro diversitate regionum ac religionum mirum in  
modum variant, & ex historiâ petendæ sunt, spectat. In Republicâ  
Ebræorum præcipuos de populo, Regibus atque Principibus suis o-  
sculo homagium fecisse, vel obedientiam saltem obtulisse, multi iiq;

Doctissimi Viri observant, quo cum Drusio (3) trahunt locum (u)  
בר-עמי ישְׁק עַל־פִּיךְ ad ostē oculabitur omnis populus, ut Ju-

nius interpretatur, qui & addit: *Hoc Symbolo subjectionis Dominum  
te agnoscet atque profitebitur.* Sed sententia hæc, cum duabus potissi-  
mum non contemnendis prematur difficultatibus, simpliciter affir-  
mari vix poterit. Hoc autem indubitatò verum est, Fideles in V.T. ju-

rantes non raro manus in cœlum elevasse (v) &c. quo etiam modo

Latinus suspiciens Cœlum tenditq; ad sydera dextram, apud Virgil. (x)

Quem morem etiam nunc hodiè circa Homagia observari depre-  
hendimus. Etenim prælegitur formula à Secretario, aut alio ex Offi-  
cialibus, quam attentissimis excipiunt auribus, referuntq; distinctis  
vocabus subditi, atque sic aperto capite & duobus, indice ac medio,  
vel addito pollice, tribus dextræ manus digitis erectis, præsenti Prin-  
cipi vel hujus nomine surrogatis Legatis jurant, additis communi-  
ter usitatis his clausulis: *Ita me DEUS adjuvet, So war als mir Gott  
helffe/und sein heiliges Evangelium/(Romanenses und alle Heiligen.)*  
Vulgarem atque receptam homagii formam tradit Wehner in voce

Landshuldigung / & ex eo Cellarius (o)

§. VII. *Locus*, in quo ordinariè Homagium præstari debet,  
publicus est. Duxi ordinariè; Personis enim Illustribus, quales sunt  
Comites & Barones, it. Nobilibus, in quibusdam locis, hoc favoris  
indulgetur, ut quando illis una ceteris juramentum injunctum  
est, actus jurandi non in publico, sed in conclavi expediatur. Quo  
beneficio etiam in nonnullis regionibus Clerici gaudent. Reliqui  
verò

(λ) Observ.  
L. II. c. 16.

(μ) Genes.  
c. XLI. v. 40,

(ν) Gen. XIV.  
v. 22.

(ξ) L. XII.  
Æneid. v. 195.

(ο) Pol. L. II.  
c. 19. §. 12. p. 310



verò omnes, cujuscunq; fnt conditionis, publicè & sub dio in conspectu Principis, & qvi huic à latere sunt, Consiliariorum jurare solent.

§. VIII. Præstatur autem Homagium tunc temporis, quando imperia transferuntur, & toties illud repetendum est, qvæties Imperantes mutantur, qvocunq; etiam modo mutatio illa contingat. Ita postqvam ante hos decem annos, DIVUS JOANNES GEORGIUS I. ELECTOR ac DUX SAXONIÆ, (cujus memoria sit in benedictione) fatis concessisset, tunc Potentissimo hodiè Principi JOANNI GEORGIO II. cui fasces Regiminis concredidit Numen, omnes harum regionum subditi, præstito homagio, obsequium & fidelitatem sanctè jurarunt. Ita qvoq; cum superioribus annis Illustrissimi Silesiæ Duces, GEORGIUS & LUDOVICUS, gloriose recordationis, mortalitatis suæ exuvias deposuerunt, tūm unicæ Patriæ spei, Serenissimo Principi, CHRISTIANO, Domino nostro Clementissimo, fideles utriusq; vidui principatus Lignicensis & Bregensis subditi, sese ad omnia obsequia & pietatis studia, mediante homagio, sacrarunt manciparuntq; ve. Qvorū Regimini ex alto largissimè benedicat SS. Trinitas. Et morem hunc in inaugurationibus novorum Principum usitatum fuisse ostendit Günth. Ligurin. (π)

(π) L. II.

Mox ubi ritè suam Proceres juramine sacro  
Obstrinxere fidem, cunctis, qvæ postulat ordo,  
Expletis, paucisq; novo cum Rege relictis,  
Discedunt, lætiq; suas referuntur ad urbes.

Non autem opus est, ut Imperantes subditi adeant, iisq; sponte Sacramentum deferant, sed tunc demum, quando illud exigunt, siue id fiat sub primum Imperii ingressum, siue post aliquot demum annos.

§. IX. Cæterum Homagium peculiare hoc inter alia jumenta habet, qvod præstitum à Marito Uxorem, à Patre Filium obliget. Est enim illa Mariti regno subj ecta, hic verò veluti pars Patris ante virilem ætatem, qvam ubi induit, à Patre protinus separatur, ut habeat Philosophus. (ρ)

(ρ) L. I. M. M.

§. X. Pro-

c. 39.

§. X. Prout verò Imperium aliud absolutum ac illimitatum est, qvod sc. perpetuam potestatem Imperanti cum liberrimâ administratione jurium Majestatis, & arbitrariâ dispositione de futuro Successore permittit, aliud limitatum, qvod & tempore & conventionibus circumscriptam regiminis formam habet, pro eo etiam Homagium in absolutum & limitatum dividimus, Secundum illud simpliciter sine conditione aliquâ expressâ Principibus juratur: at in posteriori determinatur obsequium ad conservationem privilegiorum & fidem pactorum, daß sie nemlich ihren Herrn unterthânnig / treu und hold seyn wollen / so lange sie von ihnen behißen Ge rechtigkeiten/Freyheiten/und andern hergebrachten Gewonheiten gelassen werden. Præterea dispescitur quoque Homagium in propriè & impropriè tale. Illud subditi propriè sic dicti, qui ratione personæ Imperio subsunt, præstant, diciturq; Personale. Hoc subditos impropriè sic dictos, qui ratione bonorum tantum Imperio subjacent, manet & vocatur Reale. Ex his liqvidò patet, quæ sit Indoles ac natura Homagii, & quomodo idâ juramento fidelitatis, protectionis, officiali, studiosorum &c. discerni debeat: Quapropter non putamus operæ pretium fore, ut in designandâ differentiâ illâ Juramentorum sollicitiores simus, præsertim cum id jamdudum egregiè atque prolixè Alii egerint, quorum scripia compilare nefas esto.

## SECTIO II,

### Qvæst. I.

### *An Homagio in Republicâ opus sit?*

Exd:

De necessitate Homagii dum quaerimus, non intelligimus absolutam, sed hypotheticam, non consequentis, sed consequentiæ: Dein cum Homagium vel fundamentaliter vel formaliter considerari possit, de hoc præsertim hic solliciti sumus. Quibus præmissis, Affirmantium partes tueri placet. Omnes enim homines naturâ ad libertatem proclives sunt. Idcirco obsequium jurisjurandi sanctissimâ religione confirmandum est, quia adacta & constricta populi conscientia, non facile id mutet, quod servandum Testem DEUM ac Vindicem invocavit. Qvippe apud quos, ut ferè apud populum, ratio

ratio non valet, in rationis locum necessitas succedit, quæ summa imponitur beneficio juramenti, cuius quanta vis sit, vel ex eo appareat inquit Buxhornius, (σ) quod flagitiosi in coniurationibus majus putent scelus, fallere fidem juramenti, quam nocere Reipubl. Hinc præcisam inducere necessitatem dicitur ab Anton. Fabr. (τ) Observasse hoc legimus Junium Brutum primum, post pulsos Urbe Reges, Consulem, ut est apud Livium (υ) Plutarchum (φ) & Tacitum (χ) qui jure jurando populum adstrinxit, ut nunquam de Regibus revocandis ageret. Subsequentibus vero temporibus Cæsares rerum summa potiti jusjurandum illud non in castris modo, sed & in urbe cupidissime exegerunt. Firmamentum quippe non leve Imperii in eo, quod in Obsequium Principis optimates quicque adacti, ut plenissimè ostendit Lipsius, (ψ) dum inter crimina alia Thraseæ objectum, quod in principio anni vitaret iusjurandum. Hoc est illud, quod in Europâ Juramentum fidelitatis & subjectionis appellant, Imperantibus ab omni penè memoriâ præstandum. Atque manifesta, vetustissimi hujus Sacramenti vestigia legere licet apud Monachum Egolismensem, (ω) qui invicit: Atq; hæc quidem acta sunt à Carolo, in quæ jurarunt omnes robi M. Franci. Formula hujus jurisjurandi videri potest apud Rosinum (α) Viderit ergo Rob. Bellarminus, nedium jus jurandum Principi debitum impugnat, firmissimam regnandi legem Imperiiq; destinam validissimam, reverentiam & obsequium, si non tollat, at saltem enervet.

(σ) Inst. Polit. LII. c. IX. pag. 468.

(τ) de Jurejur. concl. VII. n. 1.

(υ) LII. (φ) in Poplicola (χ) L. A. XI.

(ψ) ad finem LXVI. A. Taci.

(ω) in vita Ca- roli M.

(α) Antiqu. Rom. LX. Epilog. totius Oper. ad c. III.

### Quæst. II.

*Utrum Vasallus, propter bona in alio territorio Homagium præstare teneatur?*

Ex 9:

Juramentum aliud fidelitatis, subjectionis aliud esse vel ex superioribus constare potest. Illud obligat ratione feudi tantum; hoc vero, quod Homagii nomine alias venire solet, ratione personæ, continetq; verbum subjectionis seu gehorsam zu seyn; quod tamen non contineri in iuramento fidelitatis docet Arum. (b) Ex his liquet quid Rz. sit quæstiōni dubiæ, Negando sc. quod Vasallo, qui bona sive feudalia sive allodialia in territorio alicui-

(b) Volum. II. Disc. Acad. XXVI. §. 69.

B

jus

ius Domini possidet, ipse verò domicilium illicò non habet, homagium præstandum sit. In promptu causa est. Etenim Vasallus non ratione personæ, sed bonorum tantum, adeoq;e impro priè subditus dicitur. Nihilominus tamen Juramentum fidelitatis omnino vel per se, vel per alium præstare debet. Et si id mortuo Domino, successori, intra annum, mensem, vel diem non obtulerit, beneficio illo privatur protinus penitusq;. Et hinc patet ratio, cur utrorumq; tam Vasallorum, qvām subditorum literæ ab Imperantibus pari stylo inscribantur. h.m. *Dilecto & Fideli nostro unserm lieben Getreuen/ nimirum, qvod uterque, diverso qvamvis respectu, juramentum fidelitatis præstiterit.* Qui vero neutrum horum præstiterunt, liberiori stylo itâ compellari solent: *Dilecto nostro, unserm lieben Besondern.* Conf. Cellarius (c)

(c) *I.c. §.18. &*

19.

(d) *Coll. Pol.**Exercit. XV.*

q.v. 2. &amp; 3. p. 275.

*Liebenthahl. (d)**Qvæst. III.**An Subditus, si homagium præstare nolit, vi ad illud compelli possit?**Enq:*

Affirmativam vel exinde amplectimur, qvod Imperium definitoribus Politicis potestas sit in personam, seu caput subditi, cuius vi Princeps illi injungere potest, qvacunq; non illicita; & refractanum ac detrectantem obsequia duriore modo coercere: Immò pro qualitate ac conditione delicti ultimo afficere supplicio. Posito itaq; fundamento hoc naturali omnibus imperiis, sua sponte fluit subditum, qui sine prægnanti ratione homagium recusat, vi ad illud cogi utiq; posse. Et quis periclitetur, ubi res salva est. Obligatur enim ad parendum subditus, qvia imperium Princeps habet. Obstringitur idem ad Imperium hoc, non qvod itâ convenit, sed eo ipso, qvod subditus est. At inquis auream Juramento vendi libertatem. Verum enim verò, uti legum i dcirco omnes servi su-

(e) *in Cluent.* mus, ut liberi esse possimus, *judice Cicerone (e)* Itâ quoq; homagio nos obstringimus, ut libere, sub benigno & qvabiliq; imperio, vivere nobis detur. Nec est, ut ins'es, non esse onerandas conscientias juramento, sed sufficere, si quis fidelitatem obedientiamq; promittat cum clausula loco juramenti: *Ich wil zwarnidig*

nicht schweren/aber mich doch an Eydēs statt verpflichten: Negamus enim id. In confessionibus quippe publicis solenne iuramentum, promissione etiam firmiter factæ præferendum, & æquipollens in hoc casu, non facile negare temere admittendum est, ut scil. omnis evitetur elusio & fraudis suspicio, inquit Arumentus. (f)

(f) disc. Acad.  
XXVIII. p. 265.

Qvæst. IV.

## An etiam Ministri Verbi Divini, Homagium teneantur præstare?

Enθ:

§. I. Politici, qui Cathedræ Petri, quam singunt Romæ esse, plus justo faventiores sunt, Personas Ecclesiasticas à potestate civilis Magistratus, etiam Christiani, & conseqventer ab Homagio exemptas prorsus esse, absolutè & à diuīnītate afferunt. Qvod tamen Nostrates & rectius qvidem negant. Siqvidem vivunt in Republ. Clerici non ut Imperantes, sed ut Parentes, atqve adeò erunt subditi non officii, vel bonorum (si nulla possideant) sed personæ respectu. Nec abnuunt S. Literæ, quæ omnes homines sine ullâ limitatione vel determinatione ad obedientiam Magistratui præstandam invitant passim (g) Cum primis sibi illud quoque Clerici dictum putent: *Omnis anima potestatibus supereminentibus sit subdita.* (h)

(g) Matth.  
XXII. v. 21.  
Marci XII. v.  
13. &c.  
(h) Rom. XIII.  
v. 1.

§. II. Qvod si itaque Princeps ex vigore Juris, Homagium ab Ecclesiæ Ministris exigat, detrectare illud minimè debent. Sunt enim veri nominis subditi, quapropter Homagium, qvod in signum subjectionis introductum est, subterfugere nequaquam possunt. Nec novum aut mirum illud videri debet, cum in V. T. Sacerdotes, potestati Magistratus Politici subjectos fuisse & Leuitas Regi Joas jurasse (i) legamus. Et superioribus seculis in Imperio homagium universos simul obligasse, nec ad certum aliquem ordinem pertinuisse, declarant seqventia. *Anno Incarnationis Dominicæ 813. indictione quinta Idibus Septembribus, in placito generali apud Gundulsi villam, Jugilberga Regina, & Legatis sedis Apostolice, Formoso & Gaderito presentibus, tempestate urgente, Episcopi omnes ex regno Gloriosi Regis Karoli, hanc professionem infrascriptam, & omnes Laici hoc Sacramentum similiter infra*

(i) II. Paralip.  
XXIII. v. 2.

B 2

scriptum

(l) Antiqu.  
Rom.l.c.

scriptum juraverunt: apud Rosinum. (l) Interim tamen cum subditi Ecclesiastici fide alias habeantur digni ( Bonorum enim verba singula , sunt juramenta ) ideoqve in qvibusdam locis vel ab Homagio penitus eximuntur, vel solâ promissione citra juramentum adstringi solent. (m)

(m) Dn. D.  
Wendel.l.c.

§.3. & Meisn.  
de Legibus  
L.IV. sect.II.  
qv.4.

Ques. V.

*An Imperans, juramentum circa promissa de administratione , subditis suis præstare, obligetur?*

Ex 9:

§. 1. Trita decantatissimaq; non minus ac ardua , qvam nunc aggredimur controversia est, qvæ celeberrima etiam cujusvis seculi ingenia mirè vexavit. Nos ne temere aut timide qvid proponamus, nonnulla in antecessum notabimus. Ac qvidem, primùm Imperantis nomine hic intelligimus omnem illum, qvi Majestatem habet vel absolutè vel limitatè. Deinde, qvod non de juramento Principis promiscuè, sed contractè, qvatenuis civile est loquamur, ipsa verba qvæstionis perspicuè inferunt. Per promissa autem significamus *Capitulationes*, *Recessus*, *Conditiones*, *pacta & conventorum seriem*, qvibus eligentium & stipulantium vota comprehenduntur , qvæ cum veluti exemplar Reipubl. & fundamentum (non Majestatis realis qvam singunt, ut Buxhor- nius) (n) sed futuri Regiminis sint, Leges fundamentales vulgo & impropriè, sed accuratius fundamentalia pacta vocantur. Porro distinguimus inter *juramenta generalia*, qvibus Princeps Juris ac Justitiæ administrandæ , utilitatisqve publicæ promovendæ curam in se suscipit, qvale ex Antiqvissimis Gergoborum Archivis depromptum se adferre dicit Bodinus (o) & *specialia* , qvæ Imperii rationem & formam cujuscunqve gubernationis determinant , & ad qvæ ex officio aut jure alio Princeps non tenetur, de utrisqve, potissimum tamen de posterioribus qværitur.

(n) Inst. Polit.  
l.l.c. 4.(o) L.I. de Rep.  
6.8. Collar. l.c.

Qvi-

§. 2. Qvibus prælibatis nos ita concludimus : Decorum est Principi & ad fidei veritatem necessarium subditisq; perutile , si jura- mento promissa sua de regimine confirmet . Cum enim pars cultus divini sit juramentum , & ad singularem , cum suam , cum DEI Opt. Max. tendat gloriam , qvi potest id in honestum esse ? Sat va- lidum quidem erat eligendi promissum circa obligandam fidem , in- qvit Hornius (p) Sed cum hominum animi variplerumque & fluxi essent , repertum est relligionis vinculum , quod contineret arctius pacta , & conditionibus placitis vim ac efficaciam conciliaret . Inde mos Juramentis urgere Imperantis conscientiam , ut Princeps conce- ptis verbis juret , se sanctissime promissorum fidem exsoluturum . Exempli loco sit Nostri Imperatoris Gloriosissimi LEOPOLDI Juramentum ; qvi circa finem Capitulationis . Solches alios &c. In massen wir dann das mit einem leiblichen Eyd zu Gott und dem heiligen Evangelio geschworen / dasselbe stet / fest und unver- brochen zu halten . Aliorum similiter videantur in Capitulat . Ubi tamen probè notandum , quod Princeps talis non juret ex de- bito s. obseqvio & subjectione quadam , ac si ob eminentiam popu- li ad id obstrictus sit , hoc enim & contradictorium & absurdum planè foret , sed ex merâ ac liberâ voluntate & beneplacito .

§. 3. Sed quid hic contrasentientes ? quidam Principem omni- bus omnino legibus solutum esse clamant ; alii pernegant , posse constare juramenta hæc , qvin potius diminuere , ac non radici- tus tollere Majestatem , quod hæc cœlitus oriunda incunabula sua Deo debeat , ideo absonum esse , divinum factum humanae exponere libidini , qvæ profana decerpit manu , quod attrectare nefas erat , sunt verba Hobpii . Et hoc est , quod difficulter adduci poterat Casimirus III . Polon . Rex , ut juramentum præstaret , (q) quod putaret eo Ma- jestatem suam labefactatum iri , totamq; ve supprimi , uti hoc recen- set atq; ve approbat Prætorius (r) At usus observantia dictis adver- satur & quotidianæ experientia in laudatissimis passim Rebus publ . contrarium probat abundè . Qvare adversæ Autorum sen- tentiæ respondemus Distinguendo inter potestatis ipsius restrictio- nem quoad actum primum , & inter exercitii externam suspensionem vel omissionem , priori sensu Majestatem , nulla vis externa con- stringere neq; ue ullum juramentum tollere potest , quod contra Magnum Grotium , Cellarium , Prætorium , aliosq; ve observan-

(p) L. II. de  
Civit. c.X. §.8.

(q) Cromer.  
L. XXII.

(r) Phil. Pr.  
p. 251.

dum est. Exercitium interim Potestatis qvā possit restringi quid obstat. An verò Princeps perjurus ac fidem fallens, ita in contingeneti puniri possit, ut imperio exauctoretur, hujus loci non est disputare; qvamvis in negantē sensū sive hīc, sive alibi qvæstio instituatur, inclinandum sit. Humanæ enim leges de Majestate non disponunt, sed superior Judex in tali casu auctoritatem suam interponere debet. Verissimum illud Antonini Philosophi: *Nemo nisi solus Deus, Judex Principis esse potest.* Et graviter monet Tacitus (s) *Principes bonos voto expetendos, qvalecunque tolerandos esse.* Immō ipsa veritas jubet: *Serviendum Dominis asperis* (t) *Quare remittenda talia sunt supremo Judici DEO, vindicaturo severissimè qvicqvid in populum fuerit admissum.* *Miramur saepè & cum honore occulto intuemur DEI Opt. Max. justitiam, Principum, b. e. Vicariorum suorum injurias, cædesq; severissimè vindicantem,* ait celeberr. Forstnerus. (u)

### SECTIO III.

Axiom. I.

*Uti non omne Juramentum, ita nec Homagium illicitum est.*

#### Expositio.

§. I. Superioribus seculis multi non tantum ex Hæreticis, qvos inter Esseni & Basilidiani, (x) sed Patribus etiam fuerunt, qui juramenta prorsus ac simpliciter Christianis prohibita esse existimarunt. Sed svadet illa Scriptura ( qvod præclarè demonstrant Theologi ) (y) comprobat ratio efflagitatq; summa necessitas. Qvomodo enim veritas abstrusa sçpè erui, gravissimæ que dubia & controversiæ tandem finiri, aut ancipitia negotia tuta firmaq; reddi poterunt, nisi Sacramenti relligio justè ac lictè intercedat? *Hinc omnis controversiæ finis* (z) *& maximum litium expediendarum remedium* (a) *juramentum vocatur.* Ut de utilitate, qvam ubiq; maximam habet, nil in præsenti addamus. Consequens ergò est, homagium quoq; non esse reprobandum.

§. II. Cœterum, cum Juramenti liciti ratio formalis, in asseveratione cum invocatione VERI ac SOLIUS DEI, super rebus honestis consistat, qvod supra annotatum, hinc jure merito cœu illicita removemus. I. *Juramenta Arabum.* Ità Muhammed in

Alex.

- (x) ap. Euseb. L. IX. præpar. Evang. c. II. & L. VI. Hist. Eccl. c. 4.
- (y) Baldv. in Cas. Consc. L. II. c. IX. cas. I.
- (z) Hebr. VI. v. 16.
- (a) apud JC.



Alcurano paſſim & ipſe jurat, & jurantem Deum introducit per Montem, per Scripturam delineatam in paginā extensa, per domū, mare fervens, ſicu[m] & olivam, per nubes, ventos, cœlum, signa Zodiaci, ſtellam cadentem, auroram, vesperam, &c. Auditum admissum teneatis amici. II. Ebræorum, qvibus temerè per creaturas jurare perqvam familiare & ſolenne erat. Ità per cœlum, templum, altare, Mosen. it: per coronam ac vitam Regis jurarunt. Atq[ue] hinc patet valdè uſitata Orientalibus fuſſe temeraria illa juramenta, qvalia in Judæis Salvator noster taxavit (β) III. Grætorum. Ita Juno (γ) per terram & cœlum, per inviolabilem stygis aquam, per Jovis caput & lectum: Alii καὶ τριχὸς νεφαλῆς Ἰησοῦ per capillos & caput Dei &c. jurarunt. IV. Rōmanorū, qui per Jovem Lapidem jurarunt, q[uod] tamē sanctissimum fuit habitū juramentum (δ) unde Germani Stein und Peinschweren. Ejusdem farinæ eſt apud Livi: (ε) Audi Jupiter &c. It: per genium Principis, & Caligula per nomen Drusillæ; cui plus nimio additus erat, per caput Patris (ζ) per caput filiorum, (η) per oculos. (θ) Hæc & id genūs alia juramenta videri poſſunt apud Historicos & Poetas. vid. Dilhertus (ι) Aliiq[ue].

### Axio: II.

Juramentum, q[uod] Imperator Romanus, Pontifici præſtare ſolitus eſt, juramentum fidelitatis dici non poſteſt, multò minus Homagium.

### Ex Prog.

S. I. Ut rem à ſuis teneris unguiculis reperiamus, juramentum Caroli M. Pontifici Leoni præſtitum nullam fidelitatem, ſubjectionem nullam, ſed protectionem tantum arguit. Ego Carolus Imperator &c. in nomine Christi ſpondeo & proſiteor coram Deo & B. Petro Apoſtolo, me protectorē & defensorē fore hujus Sanctæ Ecclesiæ Romanae in omnibus utilitatibus, quatenus divino cultus fuero adjutorio (κ) Ejusdem tenoris ſunt Othonis M. (λ) Caroli V. (μ) Ferdinandi III. & IV. nee non Leopoldi Imperatoris hodiè Gloriosiss. (ν) ubi nil niſi clientelam Romanæ ſedi juratō promittunt.

§. II. O-

(β) Matth. V  
v. 33.

(γ) ap. Hom.  
II. O

(δ)  
Gr  
c. 2

(ε) L. I. c. 32.  
Virgil. LXII.  
Æneid. v. 200.

(ζ) Silius Ital.  
L. 10.

(η) Terent. He-  
avt. Act. V.  
sc. 4.

(θ) Tibullus  
l. III. Eleg.

(ι) L. III. E.  
lect. c. XI.

(κ) referente  
Reinigk. L. I.  
C. l. 2. c. 4.

(λ) Sigon.  
L. VII. p. 177.

(μ) ap. Gol-  
daſſ.

(ν) Cell. l. a.  
S. 17. Et anne-  
xis Capitul.

QKTH 4594

(o) Först. de S. II. Olim non erat sic: (o) ut rectè scripserit Albericus;  
Juxisd. Rom. Deum scire an justè nunc exigatur hoc juramentum. Et Heinricus  
p. II. p. 456.

VII. ad Clementem V. inter alia ità scripsit: Novi exempli res est,  
nec usurpata Antecessorum meorum temporibus, Principem Princi-  
pum ac Orbis Terrarum Dominum, servo servorum (ita Papa dici  
amat) fidelitatis juramento obstringi (π)

(π) Avent.

L. VII. Gol-  
dast. tom. III.  
Institut. Im-  
per Limneus.I. P. Tom. I.  
L. II. c. IV.

§. 97.

(e) Instit. Po-  
lit. L. II. c. IV.  
§. 58.

Axioma III.

*Homagium, quod à subditis, Imperantibus præ-  
statur, Pontifex R. vel Episcopi remittere  
nequeunt.*

Engecīs.

Ratio in promptu est. Non enim Papam vel Episcopum sed  
solum DEUM in Testem veritatis & Vindicem nisi promissis ste-  
tur, invocant subditi. Qvarè ultrò seqvitur, neminem præter  
Deum juramenta relaxare posse. Proscribimus ergò inquit Buxhor-  
nius (e) & damnamus Pontifices Rom: qui & communicandos, (ut lo-  
quuntur) Reges, & subditos à juramento fidelitatis pro libitu solven-  
dos suscepserunt.

Axioma. IV.

*Juramenta Gentilium, ut ut per Deos & quivovo-  
cè ità dictos fiant, nihilominus tamen ob-  
ligativa sunt.*

Axioma. V.

*Judæi, ut in non facile in Civitatem intromittendi  
sunt, ità nec Homagio obstringi debent.*

Et hæc dixisse sufficient de nobili pariter ac difficiili hæc ma-  
teriâ. Coetera, qvæ ulteriore explicationem merebuntur, publi-  
co reservamus conflictui. Interim pro his-  
ce decernimus

SOLI DEO GLORIAM!

—(o)—

WMA

N C

872-

(i) L. II. In lau-  
dem Justini.

(ii) L. II. de  
Civit. c. I. §. 12.


(λ) Observ.  
L. II. c. 16.

(μ) Genes.  
c. XLI. v. 40,

(ν) Gen. XIV.  
v. 22.

(ξ) L. XII.  
Æneid. v. 125.

(ο) Pol. L. II.  
c. 19. §. 12. p. 310



lum & adorandum, ut Dei  
icanus (i) canit:  
dit omnia posse,  
potentis Imago. Ut hæc

alis, alia accidentalis est.

OLIUS DEI, ut testis  
acte congruere, Vindexq;  
onias, solennitates ac cir-  
nac religionum mirum in-  
int, spectat. In Republica  
satque Principibus suis o-  
saltem obtulisse, multi iiq;  
sio (λ) trahunt locum (u)  
itur omnis populus, ut Ju-  
ibolo subjectionis Dominum

hæc, cum duabus potissi-  
militatibus, simpliciter affir-  
erum est, Fideles in V.T.ju-  
(ν) &c. quo etiam modo  
e dextram, apud Virgil. (ξ)

Iomagia observari depre-  
cretario, aut alio ex Offi-  
cibus, referuntq; distinctis  
duobus, indice ac medio,  
gitis erectis, praesenti Prin-  
curant, additis communi-  
vet, So war als mir Gott  
anenses und alle Heiligen.)  
am tradit Wehner, in voce

Iomagium præstari debet,  
im Illustribus, qvales sunt  
busdam locis, hoc favoris  
is juramentum injunctum  
nclavi expediatur. Qvo  
Clerici gaudent. Reliqui  
verò